Podgurski Sam. Joan: Leo liliatus in angustissima Augustinianorum solitudine repertus.

LEO LILIATUS,

In Augustissima Augustinianorum Solitudine

REPERTUS,

B. ISAIAS BONER,

Ordinis Eremitarum D. P. A. AUGUSTINI, S. Theologiæ Doctor, Regni Poloniæ

PATRONUS;

Anniuersariâ suæ Solennitatis die, in Basilica S. CATHARINÆ Virginis & Martyris, CASIMIRIÆ AD CRACOVIAM,

Exili Panegyri

A

SAMUELE JOANNE PODGURSKI,

Artium & Philosophiæ Baccalaureo,

DEMONSTRATUS.

Anno Nazaræi Leonis de Tribu Iuda 1687. *die* 8. *Februarij.*

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

IN STEMMA PERAUGUSTI CAPITULI, ZAMOSCENSIS.



Pandoram, Veteres, frustra finxêre Poëtæ;
Pandora est, THOMÆ, Sanctificata MANUS.
Hinc si cuncta habeant, ZAMOSCI, munera, mystæ;
Non mirum, THOMÆ, porrigit illa MANUS.
Omni doctrinâ, cupiunt clarere per orbem,
Clarent; arcana, hâc, sunt reserata MANU.

JOSEPHUS BLASIUS KULIGOWICZ, Dial: Auditor.

PERILLVSTRIBVS, & REVERENDISSIMIS DD.

D. IOANNI VNIKOWSKI,

S. TH. DOCTORI, DECANO INFULATO ZAMOSCEN: PRÆPOSITO Sczebrzeszynensi, S. R. M. SECRETARIO.

D. ANDREÆ ABREK,

S. TH. DOCTORI, Scholastico Zamoscensi, Præposito Tarnogroden. S. R. M. SECRETARIO, Almæ Academiæ Zamoscensis Procancellario.

D. IGNATIO GREGLICIO,

Philosophiæ Doctori, Custodi Zamoscensi, Præposito Turobinensi.

TOTIQVE PERAUGUSTO CAPITULO ECCLESIÆ COLLEGIATÆ ZAMOSCENSIS.

Dominis, Patronis, & Mecœnatibus Amplissimis.

A*D Virtutum Vestrarum Sacrarium, & quod, in Peraugusto Stemmate præfertis, Gratiarum Archiuum; aliter accedere verebar, nisi cum LEONE.* Perillustres, & Reuerendissimi Domini. *Quis enim ausit vobis approximare? quos, nedum infracta, Augusti Propugnaculi mænia; sed etiam. gemina Abyssus, magis quam Tarpeia rupes, Capitolium vallauit. Nempe & dulcissimum Saluatoris COR, non habens donorum, & charismatum, fundum, Abyssus est; & THOMAM, nomine suo Abyssum, ad se inuocauit. Hinc tantummodò à longè, attonitus, mirari debui Vestros tum Tyaratos, tum Laureatos, Vertices; quibus insertæ, tot virtutum & sanctimoniæ gemmæ, Phæbi æmulâ luce, in Ecclesia Dei, & Diœcesi Chelmensi, splendidissimè coruscant. Maximè verò inde, vestra longè lateq; refulget prærogatiua, quòd* Peraugusti Capituli Vestri *Cætûs dignissimi, ipse Primogenitus Creaturarum, Victima simul & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, Antistitem agat. Positus est vobis in signum, Pater noui sæculi, ad cuius pectus, accepto à Cimmeriorum Regis filijs exemplo, sagittis cordis Vestri collimando, Regnum æternum, acquiratis. Profectò felicissimi Doctores, quibus, in hac Deifici CORDIS Abysso, altitudo diuitiarum, Sapientiæ & Scientiæ Dei; & Aurifodina plena, Cælestium Gratiarum, obryzo; non vnâ, sed quinq; diuitibus venis, reseratur. Subtilissimos vos quis neget esse Theosophos, & mellitos Ecclesiastes? quibus Magister Amoris, nouo charitatis idiomate locutus est: atq; iam non seruos, sed amicos dicens; vt nihil Vos lateret, COR ipsum aperuit. Voluistis, in* Peraugusto Stemmate Vestro, *Librum scriptum intus & foris, ex quo illius, qui pascitur inter Lilia, imò ipse totus floridoquia Nazaræus est, omni Hyblâ Atticaq; suauiores, nempe cælestes, ambrosias, & nectar colligentes, populo instillatis. An verò, & hoc non omni prodigio maius prodigium est? cùm in Ciuitate Zamoscensi (quæ, raro hodie exemplo, ab hostium furore intacta, virgo est) alteram Ciuitatem, & quidem Refugij habeatis. Ad quam vt facilius culpis pænisq;*

obnoxij

obnoxij confugiant Rei, non in vno, sed in quinq; Angulis, triumphales Asyli Portæ, reseratæ sunt. Vbi autem tuta firmaq; securitas? nisi in vulneribus Saluatoris? Tantò illic securiùs habitatur, quātò ille potētior est ad saluandum. Fremat & premat, omnis hostium turbo; non cadit, qui hanc Diuinam Arcem, inhabitat. *Inter geminam igitur Abyssum, tanta Gratiarum, virtutumq;, vos stipatos cernens multitudine; omni verò, meritorum meorum destitutus satellitio, & præsidio, totq; beneficiorum, à Vobis mihi in Alma Academia Zamoscensi, affatim collatorum reus, meritò ad* Vos Perillustres & Reuerendissimi Domini *accedere formidabam. At modò, cùm LEONEM LILIATVM, in Augustiana Beatiori Eremo inuentum, comitem nactus sim, animosior iam, ad Abyssos Vestras, accedo. In quibus, profundissimâ veneratione demersus, vectigal debitæ gratitudinis, in sinu vestro, repono. Cæterùm, cùm Beneficiorum Vestrorum moles, vilissimæ meæ prædonderet gratitudini, LEONEM Vobis LILIATVM, offero. Qui è meditullio Regni, è Regina vrbium Sarmatiæ, progrediens; Velut ad eius gynecæum, pertinentem Zamoscanam Virginem, properat defensurus. Habet quidem Augusta, & inexpugnabilis hæc munitio Vestra, firmissima, & Babiloniorum, æmula, mœnia, & omne armorum genus; & cum Ossa Sanctorum sint muri Regnorum; habet tot veneranda, Diuorum Cæli Indigetum Busta: At LEO quoq; meus, cùm & fortissimus, & LILIATVS sit,* Virgini Ciuitati, *nedum firmissimum tutamen, sed etiam Regijs suis FLORIBVS, Triumphalem præstabit coronam. Vt ergo à Stagyrita edoctus, vernantes semper gratiarum Vestrarum, apud me conseruem hortos; in Solitudine Augustiniana, Cælesti irrigata rore LILIA BONERIA, illisq; infractum hunc redimitum, LEONEM, Vobis* Perillustres & Reuerendissimi Domini *dedico. Semper ille Triumphis assuetus, nullam moram patitur, quin vincat, & triumphet. Idcirco & nunc, sub Triumphatore Erebi militaturus, nouo se illi, in illius vrbe, aduersus insurgentem Othomani vesaniam, obstringit Sacramento. Quòdsi vt par est, adhuc eiusmodi Gratitudinis tessera, debitas & sufficientes vobis non persoluerim gratias: ergo, Vos* Perillustres & Reuerendissimi Domini, *me beneficiorum Vestrorum Reum, maioribus gratiarum, fauorum, & beneficiorum, compedibus, ligatum, constrictum; damnate ad obsequia Vestra. Et ego, pro huiusmodi mihi gratissima, & exoptata iniuria, assiduò, Cælum indignissimus fatigando precibus, perpetuum, animi mei ingeminabo anathema; vt viuatis, & cum LEONE hoc floreatis, vincatis, triumphetis, eousq;*

- - - - dùm terra fretum, terramq; leuabit
Aër, & longi, voluent Titana labores. *Lucanus.*

Perillustrium & Reuerendissimarum
Dominationum Vestrarum,

Cliens humillimus,

SAMVEL IOANNES PODGVRSKI,
Art. & Phil. Bacc.

ORATIO.

ETsi communibus, omnium ferè mortalium Votis & Vocibus, nobilissimæ inter anni partes Brumæ, ingratum nouercæ nomen, & quædam ob frigoris acerbitatem inuratur tyrannidis nota: mihi tamen illa nedum excusanda, verùm etiam, si non præstantiori, cæteris partibus; certè pari prærogatiua videtur esse adornanda. A. A. Esto etenim sanè, propter Hyperboreos rigidi Aquilonis flatus, cessent virentem perflantes orbem placidissimæ ethesiæ: esto conspirante rigescente Arcto, coniurantibus furentis Eóli niuium aciebus, non spirent, iucundissimi Fauonij; non recreent blandè mulcentes Austri, Alcinoi, Hesperidumq; peramænos hortos: non inde aliquis næuus, innoxiæ hyemi, poterit imputari. Esto pro multiformi & delectante Chloridis Adonidisq; Varietate; pro ridentibus narcissis, purpurascentibus rosis; iam prata canis albicent pruinis: Pomona fructuum delicias, & cæsaream foliorum ex arboribus amiserit cæsariem: non exinde nouercantes hyemis affectus, non tyrannicum in sublunaria imperium, iniustis querelis, mortales accusent. Quidquid enim paulò ante ridens, nunc squallidum; paulo ante vernans, nunc gelu obrigescens; quidquid paulo ante Tyrio murice rubens; nunc expallescens humanâ conspicitur à pupilla: hoc non brumæ asperitas; sed instabilis in hoc sublunari orbe rerum orbita; imò ipsa orbitas, cum labenti rerum phagone, tempore immutauit, & absumpsit. In hoc vicissitudinis diuersorio, *nil vsq; stat durabile aut vndequaq; tutum: calcat myricas quadrupes, cedros trucidat Eurus*; & ; *quidquid sub sole nascitur denascitur vicißim.* In tota sublunarium Vniuersitate, casibus stamus; & (Senecâ inquiente) *mortibus viuimus*: duobusq; illis extremis, ortu, & interitu, velut in gyrum cohærentibus propagamur. Vnde, gratis candissimæ hyemis integritas, atro vituperij perstringitur Sarcasmo. Satiùs, si altiori iudicij lance, æquiores Phociones, illius nobilitatem pensauerimus, dignam reperiemus; quæ parem cæteris anni partibus, laudis adoream, mereatur. Excepto enim, quod horrida, fulgurantis Gradiui, tonitrua; quibus ver ianuam aperuit, quæ æstas fouit, autumnus exacuit, tranquillâ hyeme cessauerint:

 Excepto,

Excepto, quòd dulce nomen pacis, quiescente interim bellorum tempestate; hyeme nobis redierit; & vberrimam consulendi rebus nostris opportunitatem, præbuerit. Excepto, quòd lassatus per assidua arma heros, fatigatus circa excolenda arua, colonus, brumali tempore attritas, reficiant vires. Exceptis mille alijs hyemis encomijs, commodisq; habet immodicas panegyres bruma, ex commodissima ferarum, in syluarum tesquis venatione. Nunc, nunc, vel inediâ pressa vel, mille venatorum artibus adacta, *Visa est catulis cerua fidelibus: nunc rupit teretes marsus aper plagas; nunc mille feras syluis Phœbe venata redibit.* Non vnus modò Cephalus, ad Phosphorum vsq; insomnis, ferarum capiendarum studiosissimus, excubabit. Plurimi, velut Trinacrij iuuenes, Helemus, Panopesq;, plus syluis, quàm domibus assueti venatu assiduo oblectant animum; vt hyemales illis feriæ, non à feriando; sed feras feriendo deducantur. Has, & ego peculiares venationum hodie, cernens delicias; antequam populus læta celebrauerit Anthesteria, saturas, ad saturnalium ferias, feras, hodie inuestigare decreui. Quòd si quispiam venationis meæ comes, celebrem syluam à me requisiuerit? adest, non Dodonea, fatidicis arboribus, & loquacibus quercubus referta, non Venusina, non Nemea, syluæ antiquitati celeberrimæ non falsis deastris dicati luci, sed Augustissima Religiosissimorũ Eremitarum Phænicis Doctorum Sancti Augustini Solitudo. Hîc, extra fabulam, cælestis Diana, æterna Sapientia, ludens in orbe terrarum, nobilissimas feras ingenti animi sui cum tripudio venata est. Cuius & mihi Peraugustæ Eremi, cum saltem vestibulum ingredi permissũ est; en ecce, tanquam in peramænis Thassaliæ Tempe, nouo paradoxo inter Arctoás niues, candido germine LILIA BONERIA video radiare. Ex quibus Generosum Gentilitij LANCKORONIORVM LEONIS Caput, hoc Liliato candore vndiq; redimitum, ipsáq; Gentilitiâ luce coruscum, conspiciens; B. ISAIAM BONERVM, ex coniunctis hisce vtriusq; illius Illustrissimæ Prosapiæ Stemmatibus, sub Prototypo Allegorico LEONIS LILIATI, esse cognoui. Quem vltra luculentiùs varijs in locis, & potissimùm inter Augustæ Solitudinis Cedros Cupressos, Pinus paulisper discurrẽdo LEONEM LILIATVM ostendere conabor. Vos tantùm Generosa Sarmaticæ Aquilæ pectora, desinite in syluis lepores, & minus culto eloquio meo quærere lepores, sed pro vestra Generosi animi indole, magnanimos nunc sedulâ attentione libeat mecum venari LEONES.

Haud multi, per inhospitalem aliquem Caucasum, per tesquo-

rum

rum auia, per prærupta viarum; transmeandi sunt mihi difficultatis anfractus, vt viuam in B. ISAIA BONERO LEONIS LILIATI ideam, imò B. ISAIAM BONERVM LEONEM LILIATVM præstolationi vestræ exhibeam. A. D. Quippe ipsa, Sacri natalis eius felicissima Lucina, in lucem Illum omnibus exposuit. Ipsa Gentilitio LILII candore, & beatioribus Leonino ex ore (quibus LILIATVS candor fouetur non aduritur) FLAMMIS, ita illustrauit: vt quilibet Phæbo meridiano clariùs, vbiq; eum LEONINA vestigia, conspiciat impressisse. Placuit certè & mihi, infantilem hanc meam facundiam, LEONIS LILIATI vestigia sedulò inuestigantem, ab Illustrissimis illius cunis breuissimè exordiri. Augustissima Sarmatiæ Monarcharum Metropolis, vrbium Regina Cracouia; vt pretiosum, in celsissimi Vauelli plusquam Hesperio pometo, aureum Regni malum, optimè seruatum, custodiret; solo olim in spelunca excubante, non contenta fuit Dracone. De nouo, & quidem firmiori, illa sibi prouidens satellitio & ornamento, tunc decoratā LILIIS BONERIIS LANCKORONIAM LEÆNAM altera ex parte collocauit. Vt ne Hercules quidem contra duos, quidquam audere potuisset. Et licet inuentus sit suus contra Draconem Alcides, LEÆNAM nihilominus LILIATAM, Beatiori fæcundatam Prole, semper subsidio & decori, sibi non defuturam, autumabat.

Nec vanum mehercule in Regno Aquilarum & Leonibus fuerat omen. Iam cùm non solùm Vauelli Olympo æmula, & vsq; ad inuidiam vicinorum cresceret gloria: cùm nedum latepatentes Poloniæ campi, auspicatâ riderent imò luxuriarent, abundantiâ, fæcunditate, prosperitate: cùm, inquam, maturescentibus Lechiadum laureis, & fæcundissimæ Cæreri, Pannonicus, sub vno Sceptro, LVDOVICI Poloniæ, Hungariæq; Regis, coniungeretur falerni Præses Lyæus: tunc LILIATA LEÆNA, semel quidem (vt Leænis moris est) sed fortissimum enixa est LEONEM LILIATVM. Cane lætum Genethliacon, ô Peraugusta Heroûm sedes Sarmatia! Tuo Vauello, Tibiq; Præsidiarius, natus est LEO LILIATVS. Hic est, quem non superstitioso Tracum ritu, natales neonatorum delyro ploratu dehonestantium, sed lætissimis acroamatibus, & votiuo concentu Lechiadæ, debemus salutare. Hic est, quem Sarmatica Agarastia, extra somnium peperit, LEO LILIATVS; cunctis, in periculorum insultibus, tutamen, in secundis successibus, ornamentum, allaturus. Quis enim BRONISLAÂ ad defensionem gloriæ Lechiciq; nominis natum non autumet? Quis FLO-

RIANO genitum, non floridum, non LILIATVM hallucinetur? Imò, si *conueniunt rebus nomina sæpè suis*; in ipso nomine Ambrosij, in Sacro Baptismatis lauacro, accepto, coronatus iam LEO noster LILIATVS, suauissimâ Gentilitij LILII Ambrosiâ orbem Polonum recreauit. Atq; quemadmodum ab aurora, & oriente sole, totius diei auguramur temperiem, & serenitatem: ita, à Beatis feliciter nati LEONIS nostri Cunis, futuri præsagus splendoris LEONINVS animus serenabat. Puer adhuc, & iam noscitur Vngue LEO. Adhuc ephebus, & iam in Prætexta Togatam grauitatem præferebat. Videres tunc illum grauem sine maturitate. Videres verè LEONINâ magnanimitate, tenellæ ætatis crepundia, lusus, illecebras, diuagantis leuisq; mentis lenocinia, à nostro LEONE contempta extisse. Nec satis esse ratus hic inuictus, licet adolescens LEO LILIATVS, se velut Leonem hæc contemnere, nisi insitâ nobilitate multis inaccessum virtutis iter adijsset.

Hinc sedulæ animorum Excultrici Inclytæ Vniuersitati Cracouiensi à pijssimis Parentibus commissus est, vt vbi Regis auium nobiles pulli beatiori Phæbo assuescebant, ibi etiam Rex animalium LEO generosos animos imbiberet, augeretq;. Vt inde gemino in elemento regnorum Antemurale, Poloniam Aquila & LEO, feliciùs fortiùsq; tuerentur. Nec diu laborabas ô magnarum plantatrix mentium! Alma Regum Filia & Parens, fæcundissima & felicissima, tot SS. Indigetum Mater Academia! Si benignè Leones natura beauit, vt nedum prudentes ipsâ informatrice efficiantur, verùm etiam prudentis eruditiq; capitis Symbolon à naturarum Secretarijs prædicentur, LEONIS nostri LILIATI animum supra naturæ ætatisq; Vires in Tuo amænissimo Scientiarum Parnasso admirare. Celeri passu adhuc priuatos intra Penates, Grammaticalium rudimentorum eluctans anfractus; iam in vmbrosis Cracij Heliconis/oris LILIATVS, inter Liliatum Camænarum commercium spatiatus est LEO noster. Nec mora, ocyus ad Hortensij, dulce eloquij viridarium, perrexit. Ibiq; longè alios coætaneos eius Atticâ superante Suadâ ad gratissimas Stoæ Academiq; syluas, esse sibi pergendum, persuasit. Vbi quanto omnium cum stupore Inuictissimus LEO, miros soluebat Elenchos! quātâ iudicij eleuatione intricata argumentorum theoremata, dexterrimè discussit! Vos apello Sarmatici Archiathænæi Stoa & Peripathe! Vos etsi mutæ augustissimæ Musarum ædis Porticus, Archilycæi & Lectoriorum parietes declarate. Vnde ad Gentilitium LILIORVM BONERIORVM candorem, immarcescibilis binarum in Artibus & Philosophia Laurearum

rearum per Almam Matrem, accessit viror; qui vnà cum LILIIS magnanimi LEONIS caput coronando, illud in Virtutis & eruditionis, prototypon, vniuerso orbi exposuit. In tanto nihilominus probitatis, integritatis, & Sapientiæ splendore, semper humilitatis latibulis, ingentem animi magnitudinem, LEO, supprimere intendebat. Verùm enim vero, cum *non latet qui in fastigio est*, nouam recens coronatus, LILIIS Laureisq; LEO, venatorum cupediam sui excitauit. Opponet Tibi LEO LILIATE, tumidos, vẽtosâ, Sciẽtiarum iactantiâ, mundus, astutissimus venator, elephantos; cum quibus, licet maximâ eruditionis, refertus farragine, minimè tamen inflatus, luctari debebis. Adest, adest, potens captator, Illustris Generis, vtriusq; Tui Parentis claritudo, Te nouis, illecebrarum artibus, & dein, magnæ spei, præstolationum, lupato detenturus. Acerrimè, Leonino animo obtrudet sese honor, memor iniuriæ suæ, quam illi pro alga illum æstimando, intulisti. Quid facto LEONI opus sit? Latere eum non expedit; nec etiam potest. Imò si in Academi vmbris latere desiderat, adhuc ab illis illustrior redditur: *sua illum, dona cognita produnt.*

At in cassum casses, plagas, retia, & innumera capiendo LEONI LILIATO mundus venator cum omnibus suis asseclis exerit instrumenta. Impetatur sanè his, impetatur, sagittis, lanceisq; voluptatum, fortiter resistet, & secundùm Zingrefij, Leoni adscriptam epigraphen: *Sese terrore tuetur.* Quantum virium inest, ô mundi fallaces illecebræ! currite, imò cum alatæ sitis, sic volate, vt LEONEM nostrum LILIATVM, comprehendatis; littus aratis, *ventũ frænare studetis.* Currite Acteones mundi, sed mox à LEONE profligandi, aut in ceruos, nouâ, extra Dianæ conspectum metamorphosi mutabimini; aut nouas Paphagis à LEONE discerpti dabitis pænas.

Quodsi, Philosophantium Principis Stagyritæ testimonio, Leo, in venatu dum cernitur, nunquam fugit, aut metuit: sed etiamsi, venantium multitudine cedere cogitur, sensim pedetentimq; discedit crebrò subsistens atq; respectans. Nactus verò opaca (Philosophi verba sunt) fugâ, quâ maximè veloci, sese subtrahit, donec in aperta deueniat; tum rursus lento passu incessurus. Noster LILIATVS LEO generoso progressu velut

- - - - - - - - - - motu Spartanus acuto,
Mille cauet lapsas, circum caua tempora mortes;
Auxilioq; pedum, sed non tamen immemor artis,
Aduersus fugit, & fugiens, tamen ictibus obstat.

 Profe-

Profectò pulchrè eludentes, aureos honorum laqueos, pulchriùs elusit & elisit, detrectans seruire, quem aurea libertas, ad digna LILIATO LEONE facinora, Senecæ dicto, excitabat: Ad maiora, inquit, sum natus, quàm vt speciosis honorum ærumnis, & fucatæ seruiam voluptati. *Magna seruitus, magna felicitas; & magna fortuna, persæpè maximum infortunium est. Momentaneum est, quod delectat, æternum, quod cruciat.*

Tali cælitùs animatus, & persuasus parænesi, rumpens omnes respectuum moras, tùm generosâ reluctantiâ; tum fugâ hoc in passu certè laudabili, victor, LEO noster LILIATVS, Augustissimæ RR. PP. Eremitarum D. P. Augustini, Eremo, sese dedicauit. Hinc quemcunq; Parentis rerum naturæ arcanũ non latet; fugere, LEONEM nostrum, desinet admirari. Si enim, licet naturâ quodammodo igniti, igne tamen percelluntur Leones, noster LEO LILIATVS, Sanctiori igne, qui DEVS est, incalescens, fatuos mundi, qui nec calent, nec diù vereq; lucent, serenitatum, celsitudinum illustrium dignitatum, ignes, quomodo vicisset, nisi fugiendo? *Ex fatuis nulla maior reportatur victoria, quàm fugiendo.*

Et iam gloriosus Victor LEO noster LILIATVS, vt tutior, in Augustissimis Eremitarum mansisset tesquis, Gentilitium, LILII candorem, & intaminatos virtutum fulgores, ne se vltra proderent, nigro, Sacri Religiosi vestimenti, contexit velamento: imò, vt totus à se esset alienus, nomen ipsum mutauit, ex Ambrosio, factus ISAIAS. Ergone iam latet, hoc non nihil suppresso candore LEO noster LILIATVS? latet, nouus per annuæ probationis interuallum, Augustissimæ solitudinis incola? minimè. Ipsa Sacræ Eremi opacitas, ipse niger vestimentorum color, magis eum, radiare demonstrat, oculisq; omnium candidiorem repræsentat: vt vel hîc illud Philosophantium verissimum sit axioma: *Opposita, iuxta se posita, magis elucescunt.*

Quod cum ita se res habeat, nec hic Tibi omnimodè tutam securitatem, LEO LILIATE pollicere. Adsunt astutiores, mille artibus, pium impetum, peruertere conantes, geniorum venatores; cum quibus assiduò Te luctari, pernecessum est. Equidem, licet magnanimus sis, consilium Sapientis non sperne: *Fili, accedens ad seruitutem* DEI, *sta in timore & iustitia, & præpara animam tuam ad tentationem.* Præpara inquam; quia *initium, futuræ calamitatis, incauta securitas est.* Vehementius *principijs obstanam serò medicina paratur.* Memor illius: quod: *quiescentibus etiam & culices, & modica animalcula insultent.* Atq; hîc noua est,

LEONI

LEONI LILIATO, cum tentationum Hydris colluctatio. Irruit, nobilissimæ Prosapiæ, rarioris fortunæ, maximæq; in Republica præstolationis, Venator, obedientiæ, in illo inuictam fortitudinem, confringere, & splendidam seculi huius seruitutem, pro religiosa animi libertate, inijcere attentans: Sed mox irritum conatū suum reluctante LEONE expertus est; cum in hac Sacra Eremo, non *longa dies homini, docuit parere LEONEM*. Verùm quid effatus sum parere? imò imperare docuit. Nam, qnid est Regi sæculorum Immortali seruire? quàm regnare. Neq; hoc ô Cosmophili! nostrum magnanimum LEONEM seruire, comprobatis argumento; quòd velut deposito LEONIS animo, mitissimus agnelus factus, sese cuilibet submittat. *Maxima enim sublimium gloria est, se quàm maximè submittere.* Cedant hinc illecebræ, & murmurationes carnis, in aspera via, huius Beatæ Solitudinis, ei operosissimè insultantes. Mox enim, inuictus LEO, omnes illas fortissimè repressurus, sanctas *acuit, magnis stridoribus, iras*. Cedant illa sub specie boni, palliata, malorum monstra: Cedant auernales cerberi, innumeris imposturis, LEONI nostro oblatrantes. Cedant omnes pessimi, qui à Magistris Spiritûs, seu Theologis, Mistico: anagogicis, nouâ nomenclaturâ insigniti genij: Cur, nequaquam, plùs, minùs, meliùs, perfectus, curiosus, laudipeta, linguax, accusator fratrum, & alij centeni, longissimo syllabo, numerantur. Vicit, hasce infames hostium cateruas, licet Neophitus, licet tyro, LEO noster LILIATVS. Vicit, vt non miremur iam, tot assequendæ perfectionis, tot supprimendarum affectionum motuumq; labores: Non miremur, innocui corporis, ad sanguinem vsq; flagellationes; Argo deniq; centoculo eum vigilantiorem non miremur. LEO enim est, ideo, & dum dormit vigilat, & vt meliùs vigilet (nam & hoc LEONIS attributum est) sæpiùs percuti, à seipso consueuit.

Et quoniam indefesso cursu per viam mandatorum DEI LEO noster cucurrit, uirtutum coronam Perseuerantiam, Diuini Pneumatis Gratiâ, & suo conatu assecutus, meritò ab Augustissimis Patribus Eremitis, in perpetuum Beatæ Solitudinis incolam, & defensorem vnanimi suffragantium voto, electus, & receptus est. Quanta tunc in Diuina hâc Eremo, resonabat tripudiorum echo! dum LEO noster LILIATVS, *consumatus in breui, explêsset tempora multa*. Quam grati aures demulcebant lætitiæ pæanes! cùm tota illa votorum congeries, hactenus suggestionum agitata impetibus, in vnam summam, & perioc hen collecta, coronaretur, & per sacram Professionem stabiliretur. Iam verò iuratus, Augustissi-

mæ huius Solitudinis, LEO noster LILIATVS, factus habitator, ita per Proficientium viam cucurrit, vt in Perfectionis orbita, ocyùs constitisset. In quâ LEONINâ prudentiâ, futuræ prouidens securitati, ne quid illum, in corporis sui cauerna impediret, optimè sensuum fenestras (per quas Doctorum consensu mors intrare dicitur) vallauit. Vnde etiam, cùm Plinio referente, LEONI in oculis, non mediocris roboris portio sit; perbellè calluit, euanidas rerum imagines, nobili contemptu, & conuerso ad sydera vultu, separare, & superare. Pepigit fœdus cum oculis suis; qui cum secundùm, *Tynpium, legati cordis sint & animi nuntij*, nunquam illos aliò emittebat, præter in cælum, Apprimè illud præsciens: *vbi errat oculus, errat affectus*. Sæpiuit, & Sapientis consilio, aures suas spinis; cùm nihil in vita gratius, audire voluerit, quàm Tragicam DEI-HOMINIS cædem; nihil crebriùs loqui, quàm amaram Nouissimorum memoriam. Procul ab eo opobalsama! procul vestra, molles thura Sabæi! Odit peregrinos odores: Nam satis, odoriferâ Gentilitij LILII fragrantiâ, bonus BONER, *Christi odor factus est*. Quid vltra? Iam ciliciorum, inediæ, & flagellationum victoriâ, Gustus & Tactus, cum toto corpore olim rebelles, totaliter nostro LILIATO LEONI, ad æternam deditionem subditi sunt. Securũ iam esse, subiugato carnis imperio, quis LEONEM nostrum, tot victorijs laureatum, inficias iuisset?

Sed ô superi! quid hoc in turbulento orbe tutum? si in solitudine quoq; malorum Aquilones LILIA LEONIS & Laureas infestant? Quid hoc in orbe tutum? *Vbi plura sunt timenda, quo maior securitas, vbi plura sunt videnda quo maior est obscuritas*. Vbi dedecet decentia, vbi nocet innocentia. Frustra hic certè securitatem somniamus, vbi ex hostium malitia, tota vita nostra militia est. Discimus nunc in LEONE nostro LILIATO, quod *is tantùm periculo caret, qui etiam dum tutus est cauet*. Quis sperâsset post tot palmares victorias, contra LEONEM nostrũ hostes insurrecturos fuisse? en insurgunt. Heu orci quarta furia inuidia! nimis videns LILIATI LEONIS candorem, nimis videns laureârum virorem. Si ophtalmiâ laboras, quare ad cruciatum tuum, splendores hosce, quos imitari malitiosa non vis, assequi, otiosa non potes, intueris? si quoq; LILIORVM (quod de illis proditum est) vehemens odor, capitis tui, causauerit dolorem, non Lilium sed:

Ipse sibi culpa est, qui hoc lædetur odore.

Et certè, maxima, hæc fuêre vibrata contra, LEONEM nostrum LILIATVM, malè feriatorum arma. *Lingua enim eorum*

gladius

gladius acutus, crescentem illius famam, vndiq; demetebat. Causam malesani & pænè Sacrilegi ausûs si scruteris; sola inuiolata animi integritas, Liliata puritas, in assequenda Ascetica perfectione, infracta magnanimitas, ansam maleuolis Zoilis obtrusit. *Nihil enim, hostibus est nocentius; quàm innocentia.* Lætetur nihilominus tantisper infame monstrum, donec suipsius vindex, in propria viscera, sæuierit. *Caret enim euentu, nimius furor, improba nunquàm, spes lætata diu.*

Quod si, *calamitas virtutis occasio sit* nostri LEONIS LILIVM, quantum odoris accepit auctoramentum! dum transfixũ, huius tribulationis aculeis, maiorem fragrantiam, exhalaret. Si *virtus languet, nisi exerceatur*; hisce dumetis lacessita, quantùm accrescit! Optimè actum est, cum Gentilitio, LEONIS nostri LILIO, dum nouas innocentiæ lymphas, ad illud irrigandum, calamitas hæc emunxerit. Si quippe Plinio, Gregorioq; Brunello credimus, candidissimum Lilium, non aliter crescere, humanamq; pupillam, & delicatas nares oblectare, addiscemus; quàm dum

Incrementa suis, accipit à lacrymis.

Planè, tibi exitium, LEONI nostro LILIATO, ingentes animos addidisti, ô improbi Momi familia! Augent, contraria vires. Augent, hæc indecora LILIIS, B. ISAIÆ, decorem. Augustiora, per angustiora contumeliarum, redduntur. vbi enim magis quàm

Vidimus, in medijs, surgentia LILIA, spinis.

Nam: *Aduersis, virtus, quæ caret, illa minor.* Vbi magis quàm

Vidimus, in medijs, surgentia LILIA, spinis.

Nam: *Apparet virtus, arguiturq; malis.*

Cæterùm, cùm natura, Leonibus, singulari dono, summum prouiderit, in pectore robur: agnouit, tunc, scelesta obtrectatorum caterua, LEONIS nostri pectus, cùm illud, non triplici ære fusum, sed solo Dei munitissimum amore, *sagittis, potentis linguæ, acutis, cum carbonibus desolatorijs*, opposuisset. Atq;, hoc felici vulnere prostratos, ex oblocutoribus, pulcherrimâ metabasi, in amatores sui, transformâsset. Quid verò, hosce obloquentium, eluctans insultus, animosior LEO, non audet? Quæ illi in orando, subtilissimè disceptando, quæ in conscribendis librorum Voluminibus, imperuia difficultas? Iam, non sola Academia Palatina, Leone, Librum apertum tenente, pro suo Stemmate glorietur. Gloriari, iure meliori poterit, Augustissima Eremitarum, D. P. A. Augustini Religio, LEONEM suum LILIATVM, nedum semper librum apertum, tenuisse; sed etiam, noua volumina, in profundissimis,

Fidei Orthodoxæ, de SS. TRINITATE, arcanis; doctissimè connotâsse. Hinc certè (licet non satis mihi, de tempore constet) cùm dedeceret, quodammodò, tot LEONINOS labores, tot Cleantheas vigilias, pro gloria immortali, SS. TRIADOS, susceptas, non coronari: ad Gentilitium LILIVM, binasq; in Artibus, & Philosophia Laureas, tertiam Doctoratûs Sac: Theologiæ, eruditissimæ, sui Candidati, fronti, Cælum imposuit corollam. Dedecuit etiam, ad D. Sapientûm Præsidis Catharinæ, Virginis & Martyris, Sacratissimas ædes, ternis laureis, redimitum; non reperiri Doctorem: siquidem, ipsa quoq;

Æternam & ternam, retulit Catharina coronam:
Martyr, enim, & Virgo, deniq;, docta fuit.

At inter hæc, maxima, LEONIS LILIATI decora, incredibilis, vanæ gloriæ, contemptus, atq; heroicarum Virtutum occultatio quem attonitum, non reddet? Nihil certè, quod Leoni, à naturarum scrutatoribus, tribuitur; per nostrum LEONEM LILIATVM, intermissum est. Leones suis è cauernis prorumpentes, vestigia, à se impressa, puluere explent, & explanant. Cautus hoc in passu, & LEO noster LILIATVS. Vt enim, vanissimos, laudum humanarum, venatores, sanctiori dolo, elusisset; dum Sarcophagos, SS. Regni Indigetum visitaturus, è Sacra Solitudine, progrederetur, nudissima, pedum mortificandorum, vestigia, desuper tantùm cuticulâ, tarsum contegente, occultabat. Rigidissimi, gelantis hyemis algores, nihil denudatis, Sancti LEONIS nostri plantis, nocuerunt. Nam, è Sapientûm traditione accepimus: Leonem, terrâ niuibus, vndiq; conspersâ, maximis viribus, ac robore intensissimo, inualescere. Cum enim, naturâ suâ, totus igneus sit, illius natiuus calor, inter hyemis rigores, per antiperistasin magis collectus, ardentissimè, inflammatur.

Erupit nihilominus adhuc magis, in apricũ; tàm accuratis artibus celata virtus. Inclaruit, occultata LEONIS nostri LILIATI magnanimitas; adeo; vt etiam, in Constantiensi Concilio, constanter, egregièq;, cum inuicta, Augustinianorum suorum, Decade, infractum, contra Hussitas animum, demonstraret. Nec ampliùs, in Poloniam redux, assuetus, palmatis Victorijs, LEO noster LILIATVS, quiescere potuit; quin semper triumphans, DEO rebelles, superaret. Vnde, licet alibi, *corpora magnanimo satis est prostrâsse Leoni:* nostro LEONI, non satis. Etiam, animas ipsas ille exanimauit; cùm illas Politicè, fallaci mundo mori, Diuini amoris necessitudine, adegisset. Dulcis, nihilominus, hæc fuit, animabus, tyrannis, blanda mors, gratissimum vulnus, cùm LEONIS LILIA-

TI,

TI, suauissimo consilij nectare, mellito, exemplaris vitæ, & concionum eloquio, dulcorarentur. Vt meritò, & de nostro LEONE, illud Hebræi Alcidæ, intelligatur ænigma: *De comedēte exiuit cib⁹, & de forti, egressa est dulcedo.* Ferus ergo, contra scelerum feras, LEO noster LILIATVS, sed & placidus. Nam, si, iudicio Senecæ, Leo, tantò plùs habet venustatis, quantò plùs spirat horroris; si impetu acer; speciosus, ex horrido; cuius hic decor est, non sine timore aspici: nostri LILIATI LEONIS;

Quàm grata facies, torua viriliter!
Et pondus veteris, tristę supercilij!

Vt meritò illi, eximiam, cuiusdam, adscribendam esse, censeam Epigraphen: *Horrore decorus.* Verbo rem complectar: quoties, Religiosissimorum Virorum calculis, & votis, munus, & onus, alios regendi, ad illum deuolutum fuisset; toties seueram clementiam, & clementem seueritatem, ita attemperauit, vt, in statera, perpensas esse iudicâsses.

Verùm enimuerò, quid angustâ, ingenij decempedâ, ingentes, LEONIS nostri LILIATI, animos; metiri contendo? Quid, Gentilitij LILII Virtutem, candorem, & odorem; incultâ, dicendi suadâ, complecti satago? Pridem, Sacratioris famæ, vocalis echo, nedum sacram hanc Solitudinem, sed vniuersum orbem Christianum, meritorum illius gloriâ, impleuit, penetrauit. Nulla est, tam surda posteritas, quæ Stentoreâ voce clariorem, in omnem terram exeuntem, laudum, & sanctitudinis eius, harmoniam, non audiat: quam, vel ipsa Gentilitia LILIA, apertis labris, prædicârunt. Quòd, si quispiam, ad hæc miraculorum, gratiarumq; cælestium, tonitrua, adhuc surdaster reperiatur; buccinet, ad Polum vsq;, tota Polonia; resonet Cracouia, Casimiria, & cum suis salis fodinis, Vielicia. Dicant ipsi agonizantes, ænergumeni, febricitantes, & pænè innumeri alij, nouis, anonimisq;, paroxismis, symptomatibus, & languoribus, affecti; virtute, LEONIS LILIATI, pristinæ valetudini, restituti, in quibus, me dies obiret, numerandis.

Testetur, ipsa veritas, de terra orta; mortui videlicet ipsi, qui, siue ad vocalem sanctimoniæ eius famam, à soporeꝑ Proserpinæ, excitati, siue (quod omnino, de Leonibus, è Sapientûm monumentis, accipimus) vt catuli exanimes, rugitu LEONIS nostri ad vitam reuocati, illius cælestes virtutes, toto ore, æternitati declarârunt. Testetur deniq;, ipsum sat superq; sonorum, de Empyreo missorum, Amphionum melos; quod plurimis audientibus ad Extaticos, LEONIS nostri LILIATI, in contemplatione amores, iucundisimè personabat. Taceo ergo, ipso Cælo canente, LEONIS nostri LILIATI, maximam virtutum congeriem, Taceo, circa propagandam suam Augustam Solitudinem, ingentem sollicitudinem; cui, vt omnimodam, prouideret securitatem; Inuictissimam, LILIATAM LEÆNAM (liceat sic B. V. MARIAM appellare; vt potè cùm LEONIS de Tribu Iuda Mater sit) in peraugusto, illius vestibulo, & sacello, vbi hactenus eam feliciter conspicimus, & gratias percipimus, collocauit. Certissimam, ominatus suæ Augustæ Solitudini, integritatem; pro qua tot in locis, LEONES, excubarent. Desino iam mirari, ô Augusta magni Augustini Propago!

cur, intra Cænobij ianuam, intra sacræ supellectilis archiuum; cur, ante vestibulum huius Augustalis, LEONEM Tuum LILIATVM, posueris! Liquidò enim, mihi tàm pium, constare videtur arcanum. Vt scilicet, vndequaq; in excubijs, degentes, habens LEONES; illis velut bifrontibus Ianis, Ianuas potissimùm obfirmares. Nempe. *Est LEO, sed Custos, oculis, quia dormit apertis;*

Templorum idcirco ponitur ante fores.

Næ, tu, inconsiderata Venatrix Libitina! vmbram tuam metuentem Pisandrum Epeumue LEONEM nostrum LILIATVM falsò rata, frustra percellere conaris! Fateor, etiam Herculeos animos, ad tuum conspectum, quandoq; contremuisse. *At LEO, fortissimus animalium, ad nullius pauebit occursum.* En Cibo fortium refectus, roboratus! Triumphatricis æternæ Virginis Deiparæ MARIÆ; & heroicis Diuorum Indigetum suppetijs, confirmatus; ex vulnere, à te, ô prædatrix crudelissima! inflicto, salutem accipiens, non obijt sed abijt. Quinimò extra fabulam, in cælum assumptus, LEO noster LILIATVS, epigraphen tenet: *Dominatur & astris.* At fortè, dum tripudiantis Empyrei Polyteumatis, resonent pæanes; nobis, LILIATI LEONIS nostri, orbatis præsentiâ, æliopæan, est intonandus. Imò, iniurium fortassis cælum, ob assumptum LEONEM nostrum, iustis à nobis lacrymis, accusandum est? minime. Adest, adest, Sacratioris illius Busti, nobilis compars; in qua, nouo miraculo, Gratiarum, Beneficiorum, Charismatum, plusquam Hyblæi, Hymettiq; faui, in tristitiæ amaroribus, à fidelibus colliguntur. Imò si Angelico Thomisticâ, Theosophiâ erudiente; *Spiritus est in loco per operationem;* totum adhuc, LEONEM nostrum Candidissimum, in Thaumaturgis suis operibus, adesse nobis gratulemur.

Quare, plaudentibus hodie, LEONI nostro LILIATO, Cælitum Hierarchijs, assurgamus & nos Lechiadæ, in debita, letitiæ acroamata. Euolet in plausus, Sarmatica Aquila, summi Tonantis ministra; quòd contra infamem, orientalis superbiæ Gigantomachiam, etiam LEONES, sibi habeat fæderatos: qui, & nidum eius, & Solitudinem suam, animosè defendant; ad nouaque excudenda fulmina. Gentilitium Ignem, subministrent. Et peculiari, gaudiorum apotheosi, imple Tu, Sacram Tuam Eremum, ô Perauguste, Eremitarum, Diuinissimi P. A. Augustini, Ordo! Exstrue, triumphalis pompæ apparatu, colossos, Pyramides, Arcus triumphales. Erige, triumphanti LEONI Tuo, perennatura Trophæa. Quot carnis, mundi, & infernalis belluæ, excussa tyrannide, retulit victrices palmas, quot virtutum heroicos & thaumaturgos fecerat actus, tot simulacra triumphorum hostium, tholis, & fastigijs, huius Basilicæ appende. Cùmq; præeunte LEONE Vestro Augusti Eremitæ! ad similes vocati sitis triumphos; dextro Hercule, *Viuite fortes, fortiaq; aduersis, opponite pectora, rebus.* Triumphate, ex optimi BONERI Vestri LILIETO, immarcescibilem cælitùs coronam, accepturi. Assurgimus Tibi, vnanimi voce & voto omnes, deplorandâ hàc malorum tempestate, à Te ô LEO fortissime præsidium, & à Tuis LILIIS candidiores dies, habituri. Didicimus, Martiali referente, leporem quendã, innocuo, ac securo pede, prope Leonem saltitasse: & cùm à canibus, mox deuorandus, infestaretur; inuicto patrocinio, à Leone, ita esse vindicatum, vt nihil detrimenti, passus esset. Meticulosi & nos, in deterius, fortitudine, sinceritate, & Sarmatica pristinâ virtute ruentibus, lepusculi facti sumus. Harpiæ, molossiq; Threijcij, Othomanicæ, an infernalis portæ, Cerberi? deuoratis, tot Regnorum, & Prouinciarum bolis; adhuc insatiabili orexi, reliquias earum, absumere conantur. Inualidi ergo, in ualida protectionis Tuæ tutamina, confugimus; vt Te duce, foras Othomanicos canes, tot hominũ millia, in fertilissimis, Roxiacæ Campaniæ, aruis; in mancipia crudeliter venatos, expellamus. Vt ex Tuorũ LILIORVM candore, & prodeũtib9, ex ore flãmarũ splẽdorib9 resplendeat tandẽ, Gentilitius Podoliæ Sol; quẽ ingenti cum squalore, hactenus, Odrysiũ ferale sydus, interpositione suâ, fecit ecclypsari. Adde robur, Leonino animo, Serenissimi Triũphatoris nostri IOANNIS III. illumq; felicibus vltra, victoriarum triumphis, effice prosperatum: Adde Gentilitio illius VMBONI, LILIORVM Tuorum candorem, & Gratiam; vt annuentibus superis, verè nouo, victrices Laureas, reflorescere videamus; vt victoriarum *manibus, det cælum, Lilia plenis.* Et cum Tu, primus, tunc ViceProuincialem agens, Poloniæ; ad connectenda, sacro fædere, quatuor mendicantium Ordinum, corda; Philadelphiam, Sarmaticis limitibus, intuleris; iustissimum est, vt optimus, concordiæ auspex, sacrum fæderatorum, contra Bizantinam Hydram, Quaternionem, non ampliùs dissoluendum, custodias; & auspicatum, salutarem, (quia ISAIAS salus Domini,) impetres successum. Vt quod, de Leone suo tradit Mathesis, sub illo, notabilem Othomanicæ telluris partem, sitam esse; nos sub Tuis auspicijs, LEO fortissime, auspicato, totam Barbariam, subiugemus. Ad extremum, Sacram Tuam Solitudinem, Almam Vniuersitatem nostram, quæ etiam ad immarcescibilem LILII Tui candorem, instructionis, & Laurearum suarum, addidit virorem, LEO fortissime defende. vt omnes Te, in malorum impetibus, LEONEM, in felicioribus Vitæ successibus, LILIATVM, agnoscamus. DIXI.

PERMISSV, MAGNIFICI DOMINI RECTORIS.